



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Pulchræ sunt gen[a]e tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

RVPER. IN CANTICA CAN. CA.I.
incantatorum deuorauit, & omnem superbiam
Aegyptiacam obtriuuit, ac deinde germinauit,
fronduit, floruit, & fructum protulit, non plan-
tata, non succo terræ animata, sed uirtute coele-
sti supra usum naturæ prouecta, sic tu pulcherri-
ma mulierum, amica mea, cūctam prauitatem
hæreticam interemisti, superbiam diaboli deieci-
sti, cōceptu florida, partu fructifera, uirgo in cō-
ceptu, incorrupta in partu, uirgo ante partum,
incorrupta post partum. Nonne igitur pulcher-
rima es mulierum? Vere pulcherrima.

¶ Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis;
collum tuum sicut monilia.

Pulchræ
sunt genæ
tuæ.

¶ Pulchritudo tua pudicitia est, quæ multū ap-
paret & spectabiliter lucet in genis tuis, quia nō
foris uagaris oculis, sed sicut soliuaga & auis ca-
stissima turtur, solitudine delectaris, & solitari-
am te angelus inuenit atq; salutauit. Non ita pul-
chræ sunt genæ mulieris, qualem sapientia deno-
tat, ornatu (inquiens) meretricio præparata, ad
capiendas animas, garrula & uaga, quietis im-
paciens, nec ualens in domo consistere pedib. sur-
is. Verum ut taceā de eiusmodi, pudicarum o-
mnium uirginum, uiduarum atq; continentium
pudor siue pudicitia, religiositas aut uerecundia
tuis genis, tuis oculis cōparata, non est uerecū-
dia, non est pudor, non est, aut uix meretur dici
pudicitia. ¶ Adde quod collum tuum sic est, si-
cut monilia. Sicut enim monilia muniūt matro-
narum pectora pudica, unde & dicuntur moni-
lia, eo q̄ pectus muniant, ne q̄s extraneus, id est,
impudicus manum suam injiciat, ita & collū tu

Monilia

um munit uerba tua, non solū ne quid ociosum aut noxium siue inordinatum per uocem erumpat, uerum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, diuinum mysterium tibi creditum, leuiter uiam uel uocem inueniat, ut auris aliena siue filia aliqua, quæ uideatur esse filia Hierusalem, quæ forte custodire nesciret huiusmodi margaritas, sicut custodiri oportet propter porcos maximeque propter Herodē & eius complices. Vere igitur pulcherrima mulier, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo. i. tam oculorum quam uerborum tuorum modoramine decetissimo. Quid ad hæc dicunt amici uel familiares tui: quales primi fuerunt apostoli?

Matth. 7

¶ Murenulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento.

¶ Murenula quoddam colli ornamentum uulgo sic uocatum, iccirco, quod scilicet auri metallo in uirgulas lentescere quædam ordinis flexuosi cathena contexitur, in similitudinem murenæ serpentis. Hæc & interdum auri atque argenti textitur uirgulis. Vnde hic dicitur, murenulas aureas, uermiculatas argento, faciemus tibi.

Quid murenula.

¶ Aurum & argentum idem significant hic, quod & in psalmo cum dicit. Pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri. Aurum in dorso uel in posterioribus columbæ interior est sensus sacræ scripturæ, argentum uero sermo exterior, cuius nitore nullo modo comparari possunt lepores siue exornationes eloquentiæ mundanæ, quantumlibet exquisitæ fuerint siue accurate. Ergo per murenulas aureas argen-

Psal. 67.

C